

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**


**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Evangelium Tetragrammaton E Novo Testamento Exvlans**

**Zeltner, Gustav Georg  
Lochner, Karl Friedrich**

**Altorfii, 1722**

[urn:nbn:de:bsz:31-130248](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130248)



60 A 2691,1

EX  
BIBLIOTHECA  
ILLUSTRIS  
CAROLI HESYCHEI.

657/23

*Q. D. B. V.*

# EVANGELIVM

TETΡΑΓΡΑΜΜΑΤΟΝ

E NOVO TESTAMENTO

EXVLANS,

*PRÆSIDE*

GVSTAVO GEORGIO

ZELTNER,

SS. Theol. D. P. P. & Ecclesiaste,

*d. Junii A. R. S. clolcccxii.*  
disquisitioni placidæ  
exponetur

CAROLO FRIDERICO LOCHNER,  
Fürthenfi.

---

*ALTORFII NORICORVM,*

RECUSA A IOD. GVIL. KOHLESIO, VNIV. TYPOGR. 1722.





I. N. D.

§. I.

**V**ehemens & pervetusta est disceptatio *Criticorum*, de Lectione & Pronunciatione Nominis Divini יהוה sine omni dubio summo rerum Conditori & Arbitro proprii; ob mysteria autem, quæ continere cum Judæis tum etiam Christianis omnibus semper visum est, perquam venerabilis. Quam etiam ob rem illis נכבד ונורא h. e. *Honorable & Reverendum*, omniumque frequentissime שם המפורש h. e. *Eximium & eminentissimum* audit; Istis vero, *Sacrum, Tremendum, ἀφραστον, ἀνεκφώνητον κ. τ. λ.* passim dicitur, atque ab utraque parte singulare quiddam & arcanum, significatu penitiori, isthac nomenclatura designari, veluti certum & exploratum habetur: id quod etiam Numen ipsum Divinum Exod. VI. non obscura testificatione confirmat.

§. II.

Hoc ipsum vero, si scisciteris, quale sit mysterium, equidem plurimas, inter eruditos utriusque generis, conjecturas reperies, ut sunt animi in rebus hujusmodi luxuriantes & cæco sæpius atque effreni impetu curiosi; Vix tamen solidarum rationum cupidis satisfacient: præsertim eæ, quas *Kabbalistarum* studia magno numero anxie excogitarunt, difficiles haud raro nugæ, aut obscuritates certe insuperabiles,

biles, quibus sua ex more solent contaminare commenta & involvere. Quare etiam recensendis iisdem ex *Seph. Fezira* potissimum & *Comment. in eum* copiosissimis, quorum summarium *R. Mos. Borril.* exhibet, consulto superse demus: eo quod, cum Permutationes Alphabetorum, quæ fingunt, non uno modo variatas requirerent explicandas, quorum, post improbos labores peractos, veritatem certam vix cuiquam sanæ mentis persuadere possimus, nauseam potius quam voluptatem allaturas esse, certo præfagit animus. Congessit istas nænias præter alios indefesso studio & industria incredibili *Joh. Steudnerus*, Coll. August. Ephorus, in *Alphabeto Judaico*, quem, cui volupe est, consulere, & utrum tres omnino **הויהו**, ad convincendos pertinacesque animos Judæorum frangendos extundere ex hoc nomine sanctissimo queat, hac methodo, periculum facere, si quid otii sit, per nos licet.

§. III.

Multo vero minus in *Jac. Böhmi*, Sutoris illius Görlicensis nugas inquirere vacat, quas in *Mysterio Magno*, plus quam mystico c. XXIII. §. 14. ed. Amstelod. de Tetragrammato in Paradiso, nescio qua voce edita, tanquam ex Centro Mundi lucidi atque ignei, patefacto & audito, syllabis minutim concisis deblaterat: *Der im Garten gieng, vvar Ton*, inquit, *als das Centrum der Liecht-Welt; Und die Stimme Tetragramma ist das Centrum der Feuer-Welt, als das erste Principium, und das Ton das zweite Principium, vwie Feuer und Liecht eins ist, und scheiden sich aber im ausgehen in der Offenabrung in zwoeierley Qual &c.* Nam garrulus iste homo sapientiæ cujusdam prorsus singularis & nescio quo lumine, ex stanno an plumbo inspecto, haustæ, affectatione plane inepta, quid sæpe ore calamoque petulanti effutierit, ipse, credo, cum ignarissimis

rissimis scivit : atque adeo lectoribus suis , ut fucum faceret , inania rerum vocabula , memoria felici & imaginatione vehementiori retenta , objecit : Græcum insuper Epitheton misere habitum , cum Hebraico ipsomet Namine Dei insulse admodum permiscens.

§. IV.

Digniores sunt consideratu , quas ex punctis seu notis vocalium , antiquitus literis Divini hujus Nominis adscriptis , & hodie adhuc suo loco comparentibus , reconditas observationes nonnulli elicere conati sunt. In quibus , post *H. Zanchium* & ipsum quoque *Epiphanium* , jam olim adversus Archonticos scribentem , præcipuus est *N. Fullerus* , consentientes quoque Judæos quosdam habens idem in *Schemoth Rabba* ad Exod. III. asserentes. Divinam Apocalypsin C. I. 4. 8. ubi triplici temporis differentia hoc Nomen Augustissimum expositum censent , eo verisimilius arbitrantur huc respexisse , quoniam ipsa construendi forma minus accurate cum præcedente  $\Delta\omega\delta\tau\epsilon$  , per Casum sequentem Nominandi connexa , Proprii alicujus nominis explanationem indicare videtur , & conjunctim enunciata de Deo ab ipso Servatore ,  $\delta\omega\delta\tau\epsilon\ \delta\eta\eta\ \kappa\alpha\iota\ \delta\epsilon\ \epsilon\pi\chi\acute{o}\mu\epsilon\nu\textcircled{c}$  , illud in dubium a quocumque vocari haud patitur. Exacte etiam hanc ternam Præteriti , Præsentis atque Futuri temporis differentiam puncta  $\tau\epsilon\ \tau\epsilon\tau\epsilon\gamma\gamma\epsilon\gamma\mu\mu\alpha\delta\tau\epsilon$  cum literis referre plausibili ratione affirmatur ; eum scil. in modum , ut Kamez ultimum præteriti , cujus perpetua in Verbis  $\aleph$  est nota , Cholem literæ Vay præmissum Participii atque Præsentis , cujus apud Hebræos partibus fungitur , atque Jod denique futuri in voce  $\epsilon\pi\chi\acute{o}\mu\epsilon\nu\textcircled{c}$  , ut putant , expressi characterem sustineat : quæ omnia inter se quam maxime concordare quis dubitet ? At enimvero neque hæc etiam tam solida , quamlibet arguta , utique sunt , ut animum fluctuantem omnino confirmare possint.

Etenim nondum satis evictum est, esse puncta isthæc, in Codicibus hodiernis subjecta, plane eadem, quæ adscribi Divina Sapiaentia initio voluit. Quin immo peregrina & aliunde adscita esse, tanta argumentorum vi atque robore demonstratum esse scimus, (quacunque etiam ætate & quibuscunque auctoribus consiliisque id factum sit) ut, qui a contrariis stant partibus, parum sane habeant, quod excipere adversus ea possint, quin iterum iterumque sententiæ alterius propugnatoribus vapulent: ut cuique Fasciculum *Relandianum* cum studio conferenti luculentissime patebit.

§. V.

Periclitabimur jam vires non nisi in omnium maxime probabili argumento, quod ab usu profanarum Gentium, Principem Deorum suorum *Jovem* vocantium, sumtum est: cujus sane primam originem aliunde, quam ex Hebræo יהוה, qui repetere ausit, næ is risum sagacioribus debet. Quamquam autem non negaverim, natales ejusdem inde arcessendos esse; tamen infirma admodum suspitione ex hoc Namine sancto, his vocalibus punctis scripto, atque constanter a Judæis ita ore prolato; illi deducuntur; cum perinde ut Jova, etiam reliqua nomina *יהוה*, *יהוה*, *יהוה*, *יהוה*, & si quæ sunt ejusmodi, apud Græcos reperiantur antiquiores, immo omnium vetustissimos, & in fragmentis antiquissimis, etiam Samaritanorum & Gnostlicorum, ceterisque ab Eusebio, Diodoro Siculo, Theodoro &c. utcunque conservatis notata legantur. Unde facile quis in eam ingrediatur sententiam, (quam, fateor, non possum non & ipse approbare,) multiplici sono variisque vocalibus additis, prisco tempore, quo Judæi adhuc proferre illud promiscue haud verebantur, enunciatum atque ab Exteris auditum perceptumque fuisse, ex reliquis Hebræis, maxime yero omnium ex Captivis, quos Tyrios Græcis aliisq; popu-

populis vendidisse passim queruntur sacra historiarum monimenta, & conceptis verbis *Joel Vates* c. III, 6. testatum reliquit, totam simul reliquarum, si quæ sunt, per Græciam veritatum divinarum scaturiginem repandens. Quod si ita sit, manifestum erit, non solum contra fixa isthæc puncta hodierna huic Nomini subscripta, sed in univèrsum omnia haud spernendum indicium hinc petere licere. Ne quid de ipsa Voce *iova* dicamus, cujus in vetustioribus Græcorum profanorum scriptis aut fragmentis vix reperias a quoquam annotatum exemplum; Jovis autem a Romanis ex Græcia, per solitam æmulationem, ad *Juvandi* notionem, sine omni dubio, *Varrone* etiam atque *Agellio* notantibus, accommodatum & Nomen & in sacra sua recepti, cum nomine, Deastri cultum, acceptum fuisse nemo, arbitrator, erit qui dubitet. Sed hæc nunc non agimus.

§. VI.

Est enim, quod magis mireris, in hac opinione dubium, nempe præter morem Judæorum & ingeniosè nugacissimorum etiam *Kabbalistarum*, a *mysteriis ex punctis vocalibus* exculpendis alienorum, eorundem in hujus vocabuli consideratione accuratissimum examen, cum solius inter omnes Schevatis, quod sub prima expressum est, quod tamen si spuria sit vocalis, at significationis, perinde ut ceteræ, capax esse solet, neglectu. Addi posset etiam ordinis perturbatio, qui nominis Divini Analyti huic Apocalypticæ minus accurate responderet: cum a media Vocali, temporis præsentis indice, initium factum sit; qui tamen nec tum naturæ ordine convenit, ubi præteritum præsentis utique fuerat anteponendum, nec cum Hebræorum consuetudine: & quæ sunt aliæ in hisce minutis animadversiones silentio jam prætereundæ. Illud saltim non prætermittendum est, quin moneamus; Commutationem horum punctorum, si tanta myste-

mysteria comprehendant sub signis istis abdita, non potuisse ullo modo suscipi in יהיה, quæ fit, quoties, sequente aut præcedente יהי suis omnino elementis exscripto, illud repetere sine dubio auctores hujus variationis nefas duxerunt. Hac enim dispari subjectarum vocalium ratione, nisi ipsam Perfectionem divinam Æternitatemque, eo nomine sanctissimo, uti autumant, indigitatam, obscurari concedere velis, eandem altera forma non tanto & tam abstruso ac divinitus his signis subjecto arcano indicari consequens erit; quippe, quæ nunquam alioqui in aliam, nihil prorsus, (quod a quoquam adhuc allatam sciam,) significantem, sine necessitate, translata esset & conversa.

§. VII.

Suboluit id ipsum, quod paullo ante dictum est, aliis, & post *Bellarminum*, (qui fontem essendi, cumque non habeat esse ab alio, det rebus omnibus, ut sint, hoc verbum designare *L. de Christo* dudum affirmavit,) nuper etiam Viro cuidam Clarissimo argumentis haudquaquam invictis Lectionem Vulgarem eapropter amplexo: qui tandem plenius evolvendæ hujus Appellationis Divinæ Formationisque insuetæ sollicitudine, in eam ingressus est opinionem, ut tum Formam R. יהיה tum etiam Præformativam, ut Grammatici vocant, literam Jod, cui Schva simplex adjectum est, animo secum reputans, ex Conjugatione Piel utrumque horum illustrare, ipsumque adeo significatum ejus hinc pariter eruere instituerit. Quibus positis, non solum *Ens ab alio quoquam haud dependens, & ex omni aternitate, atque in aeternum exiturum* denotabit; sed etiam *Causam rerum omnium, qua, quicquid existat, virtute sua, ut tale sit, efficiat, illisque omnia continue largiatur*: Ita enim placet ingeniosissimas Meditationes isthas nonnihil ex frequentatione,

tione, quam Conjugatio quoque Piel notat, interpolare. Atenim neque hæc etiam satisfaciunt omnino, hac de re ambigentibus; licet nonnulla e medio tollant dubia contra priorem explicationem mota. Quandoquidem non deerunt, quos male habeant novi scrupuli; quando nusquam in conjugatione ante dicta esse usitatum verbum **הוה** neque apud Hebræos, neque etiam Chaldæos (ubi multo frequentius occurrit, apud Hebræos vero parcius,) deprehendent, & quæ ex nomine **הוה** colligere velis, rectius a particula **הו** derivari posse conjicias: cum qua potestas etiam atque significatio magis, quam cum verbo **הוה**, & supra data explanatione, vocalium atomos nimium redolente, conspirat. Adhæc dageſch ex media, nunquam alias actu, quod ajunt, quiescente, hic excidisse, & secundum indolem formæ hujus generis verborum, sine ulla necessitate, citra geminationem, aliasque consuetas Anomalix rationes, Cholem præmissum, & quasi compensationis loco, adhibitum fuisse observantibus multum negotii faceſſet. Denique primæ ac tertix classis Flexionum commixtio haudquaquam necessaria, contra solius primæ conjugationis in **הוה** manifesta ubique apparentia signa, ingeniosi partus (mihi crede,) nævos ubique produnt, & hanc structuram inter monstra connumerandam jubent. Ne quid de cæteris dicamus difficultatibus, & nominatim quibusdâ periculosis consectariis, quæ *Pantheista cum Kabbalists*, ad suas hinc stabiliendas hypotheses, fortassis promanare existiment: quæ (licet nemini, neque etiam Autori hujus sententiæ C.L., hanc dicam scribam) omni modo evitare, itemque *Essentiatoris*, *Essentiæ Radicalis*, des *Wurzel-Weefens*, & similia vocabula, vel audita saltem horrida, fugere potius ipse ac dissuadere, quam cuiquam hac in parte esse offendiculo, malim.

B

§. VIII.

## §. VIII.

Relinquitur ergo, his missis & breviter excussis, quæ nobis, de Abstruso hujus Sanctissimi Nominis & sublimiori significato, mens sedeat, ut tandem edisseramus. Quod dum ea, qua par est, humilitate atque reverentia Numinis æterni facturi sumus, non intempestivum fore putamus, præmittere nonnulla, sine quibus, in sequenti orationis progressu, intelligi præcipua commode non poterunt, quæque, fateor, in hanc sententiam manu quasi nos duxerunt. Certe, postquam omni tempore tanta fuit Ecclesiæ, præsertim Judaicæ purioris, de hoc nomine cura, & sæpe plus justo devota ac pæne in superstitionem degenerans veneratio: ad hæc a Deo ipso singularis quodammodo, ut vidimus, impressa eidem nota extat, sine penitiori meditatione, & ut vulgaria alia, omnino incompertum atque inexploratum relinquere, minime omnium videtur rerum divinarum studiosos cognitores decere.

## §. IX.

Animadvertendum itaque censemus, *Primum*, ubi ex professo & instituto quasi Deus O. M. de seipso & Nomine suo locutus est, idemque Nomen, ad interrogata Mosis responsurus, patefecit, non tertia Illum, sed prima persona uti voluisse, præpositumque verbo יהוה, existentia notionem usurpato, characterem primæ personæ apud Hebræos, & nempe præformativum Futuri, expressisse, nec semel, sed iterum iterumque idem illud repetendo Exod. III. 14. sq. confirmasse. Non itaque dubitandum, Clavem recludendorum, quæ latent in hoc proprio Dei Nomine, ipso scilicet Numine divino interprete maxime idoneo, quam rectissime accipi ex hac principe revelatione ejusdem debere: magis, quam ex alio Scripturæ quocunque loco, in quo  
vel

vel digitum eo intendi, vel, quid subsit mysterii, ul-  
latenus subindicari, incertum est: nedum ab homini-  
bus supra errandi periculum neutiquam possis, & in sum-  
mis Dei mysteriis, ipso Sp. S. iudice, *Ἰηλαφῶσι*, aut aliun-  
de, quam propria, ut vocant, sede illustramenta utcunque  
accerferentibus.

§. X.

*Alterum* est, quod præmittere placuit: Non videri si-  
mile vero, cum tota Scriptura S. Vet. Testamenti, auctore  
Petro, Christoque ipso, ejusque ministris ceteris Act. X.  
Joh. V. Apoc. XIX. &c. venturam per Christum pandat & an-  
nunciet salutem; immo propter Filium, ut est in Hymno  
Davidis Ps LXXX. 17. & 18., Ecclesia Veteris Testam. fun-  
data, constabilita & continenter inter tot difficultates con-  
servata sit, hujus Adventus, tanquam Nuclei ceterorum  
omnium in tam Venerabili Nomine indicium & monimen-  
tum, ad consolationem piorum, haud esse factum atque pro-  
positum. Quod cum in gemino ה, naturæ utriusque, di-  
vinæ & humanæ, veluti ה היריעה obscure factum  
quoque sit, de clariori aliqua ejusdem demonstratione suo  
tempore certo quidem adventaturi Messia, certoque modo  
*ἐν σαρκὶ φανερωθήσονται* Θεῷ sollicitos nos esse, atque ex hac  
nomenclatura mysterii plena quoquo modo exquirere eam,  
quam vero simillime jubebit.

§. XI.

*Tertio* denique omnium maxime in mentem revocari  
volumus: Advertentibus de industria ad Novi Fœderis tabu-  
las, nusquam hujus memorabilis & olim, in Sacris V. T. oracu-  
lis; omnem paginam facientis Nominis, sive in ipsius Christi  
verbis inquiras, sive discipulorum sermonibus & scriptis, oc-  
currere mentionem, ut dedita opera, etiam ibi, ubi allegan-

da erant loca V. T, ab eo abstinuisse omnes ipsumque Sp. S. admodum credibile sit. Cujus rei aliam causam, qui probabili, & in ipsos sacros Scriptores non injurio, argumento, reddere possit, quam respectum ad Nov. Test., ubi cum ceteris hujusmodi antecessionibus, hæc etiam valde notabilis locum habere amplius haud poterat atque debebat, gratissimum mihi fecerit, qui certiore reddat. Accedit adhæc, quod inter superstitiones alias, in Judæorum vitiosissima progenie, dum has terras obiret Servator, nunquam observatum est, eum reprehendisse istos, qua alioqui solebat, magnanimitate, ob hanc præ ceteris menti divinæ & honori debito adversam Nominis sacratissimi occultationem; ut potius ipse præeuntes secutus sit: de qua re in seqq. erit amplior differendi campus. Certe non sufficit, cum B. J. G. *Dorschao* Diff. IX, ad Exod. §. XIV. *Quo consilio*, in Script. N. T., *nomen Κυρις usurpetur, quod & nomini ארני respondere solet, non liquet*, dixisse. Neque etiam cuiquam, inquirenti diligentius, respondere, *quod amplitudinem ejus exhauriret: in Græcæ lingua, nullum nomen præsto fuisse*, satisfaciet: ac proinde penitus investigandi causa non una supererit.

§. XII.

Quæ cum ita sint, *ut nostram tandem sententiam dilucide edisseramus*, arbitramur Sanctissimum Nomen יהוה ex Prima persona יהיה in Tertiam simplici modo (quid enim opus est ambagibus?) inflexum & Exod. VI. propositum fuisse, eum in finem, ut, sive Moses illius notitia tunc primo imbutus sit, qui per anticipationem narrando res antea gestas id usurpaverit, sive explicate magis de sensu sublimiori ejusdem, jam qualitercunque olim cogniti, edoctus fuerit, *Messie adventum, veluti nova vocis unius tessera, breviter prænunciaret & designaret*. Qua ratione potestas  
illius

illius & significatio non alia erit, quam *Futura* jam perfectissime *existentis Dei*, secundum dispositionem ordinemque divinitus constitutum, *per Messiam Filium Dei*, huiusque personæ determinato, ἐν πληρώματι τῆς χάριτος, assumpto semine Abrahami, *singularis & salutifera patefactio*: qua Filius ille Θεόδωρος & futurus, Patrisque & S. Spiritus, h. e. consilii æterni S. S. Trinitatis, de nostra omnium salute, interpres non solum, sed & sponzor & expromissor extiturus sit. Et hæc quidem, (ut rationem quoque Rad. היה in היה mutata exponamus,) *ejusmodi fore porro ostendebat nomen mysticum, ut lata per se τὰ τῆς χάριτος universis accidant; at tamen etiam talia, qua* (uti fert cognatorum vocabulorum & particulaַּהוי atque nominum vis & valor,) *nec sine exquisitissimis afflictionibus & ærumnis in comparanda hac salute, a Deo Futuro Redemptore, præcipue tolerandis, nec sine exercitiis pœnitentiæ atque calamitatum variarum in exordio participationis ejusdem pariter & progressu, cum fructu applicandæ conservandæque, usu veniant*: Imo & salutaris fidei desertoribus & contemtoribus, sua quidem culpa pœnas sibi attrahentibus, æterna mala accersant. Quæ jam porro uberius confirmare & explanare animus est.

§. XIII.

Ad explicationem dictorum, si ad utriusque, vel ejusdem potius nominis, eodem loco ac tempore, eademque occasione Exod. III. 14. sqq. & VI. 3. a Deo Mosi revelati, vim atque sententiam, sonum item & formam externam, probe attendere lubitum sit, plurimum momenti asseret *Elementorum affinitas* ipsis oculis subjecta. Multoque magis cuncta hæc comprobabit loquentis *Dei scopus* l. c. clarissime profecto apparens. Hic vero cum non alius fuerit, quam spes indu-

bia de populo Israelis, Patrum dilectorum progenie ac sobole, miseris & calamitatum mole propemodum oppresso, certissime jam defendendo vindicandoq; in libertatem dudum promissam, (Gen. XV. 13.) quis dubitet eo maxime pertinuisse, tanquam omnium fœderum particularium, inprimis illius cum Abrahamo initi, centrum divinum, & gentis ex eo natæ desiderium fere perpetuum, Messia, stato tempore affuturi, summam, tum Majestatem, tum Oeconomiam, omnis felicitatis, antrorsum quoque valentis, epitomen & fontem; & quod plus est, etiam ceterarum promissionum quarumcunque fundamentum unicum, uti conceptis verbis id Paulus 2. Cor. I ult testatum reliquit. Ad quæ accedit, quod non solum de Christo præcipue sermonem fuisse Deo, ex dictis colligi debere probabile sit; sed etiam ipse Filius Dei, ex sententia Theologorum plerorumque, tanquam מֶלֶךְ הַכּוֹרֵת Lux & Dux populi Dei, hoc loco definite colloquens cum Mose introducatur: quo verba Stephani Act. VII. 38. facere iisdem videntur, ubi Angelum ex rubo cum Legislatore ministro conversatum quasi & sermocinatum fuisse eundem fuisse ait, qui postea ex monte legem promulgandam perferendamque ad populum illi dedit. At vero hunc ipsum *Futuro tempore* semel iterumque nomen suum enunciantem, atque deferre ad afflictos, tanquam, qua rem ipsam, jam utcunque præcognitum, jubentem, *ad futuros eventus*, & hos quidem toti genti maxime salutare atque exoptandos, non longius *prospexisse*, exitu quidem ipso deinde quam optime hisce respondente, qui dubitet, nã is vel ipsam Divinam Filii ante Nativitatem ex virgine existentiam negare, vel Judæorum pervicacia, adventum Messia J. C. nondum contigisse, aut olim certe, cum populo suo Mosen ad Messiam non respexisse, contra Ebr. XI. 26. seqq, temere **affirma-**

affirmare necesse habebit, aut in ipsa meridie cecuciet.

§. XIV.

Ad membrum alterum dilucidandum spectat *memorabilis illa, unius* quidem *literæ*, sed ex qua una sæpe magni montes pendent, velut Judæorum notissimum proverbium habet, *mutatio*, ab ipso Deo, non hominum prava consuetudine, confestim facta, cum radicis  $\text{היה}$ , in derivatis adhuc superstite notione, haud insueta Hebræis, composita & comparata. Id quod adeo manifestum est, ut omnibus probe Philologis, non tam alteratio literæ, per se clara & aperta, quam causa hujus rei crucem fixerit, arbitrantibus plerumque, quia eadem sit utriusque Radicis significatio, vel prorsus nihil in recessu istam habere commutationem, vel commodiori pronuntiationi tantum  $\text{י}$  pro  $\text{י}$  substitutum, inservire. Quod quidem in re tam sublimi, ubi haud sane difficilior esset nominis  $\text{היה}$ , quibuscunque vocalibus prolati, enunciatio, quam altera, nimis jejune dictum putamus. Rectius adeo & divinæ sapientiæ congruentius censemus, ex derivatis, atque notione in istis obvia, alterius generis, accersere hujus consilii reconditas rationes, & sive personam Servatoris cogites ejusque fata in his terris multiplicia, sive candidatos regni illius atque salutis participes jam factos in præsentis vitæ conditione, sive adversariorum sortem certissimam, ærumnas simul accumulandas sese comprehendere hoc nomine, affirmare. Eoque magis & confidentius illud fiet, quo Canonis etiam V. T. extrema linea idem prædictum fuit, atque in vaticiniis reliquis, de ipso Christo, Capitibus integris illa fors descripta, dehinc exitus atque res ipsa maximam lucem dictis affundunt. Ne quid dicam de simili propemodum omine & nomine, quo jam pridem, inter  
prima

prima nomina propria, communis omnium viventium mater, post denunciatas antea afflictiones imposterum tolerandas, pro  $\text{מִיָּת}$  etiam  $\text{מִוָּת}$ , miseriam ipsius & posterorum quoque similiter innuendi gratia, nominata fuit: Eamque radicum potius, quam vocalium, quarum incerta minimum est origo & ætas, conjunctionem admittere exempla luculentiora passim obvia jubent.

§. XV.

Sic mente nostra jam satis declarata, quæ sint rationes & argumentorum pondera, quorum aliqua vis est dicta superius corroborandi, exponere fas est. Hic, fateor, primo loco habenda nobis videtur *Futuri temporis Forma Grammatica*, jam aliquoties obiter observata, neque obscure, sed palam ex Augusto hoc nomine elucens; quippe ad primæ personæ normam quasi fabrefacta. Unde sane Futuram aliquam, non Divinitatis certe ipsius, quippe æternam, existentiam, sed Naturæ Divinæ, quatenus Filii Dei natura est, ejusque  $\text{ὑποσάσει}$  subsistit, singularem prorsus & ad Oeconomiam N. T. spectantem, h. e.  $\text{Φανέρωσιν τῶ Θεῶ ἐν σαρκὶ κ. τ. λ.}$  hoc signo compendiose delineari, quis neget? Tametsi enim plura hujusmodi alia sunt in medio nomina, hominum rerumque, ab hominibus diversarum, Jod præmissa, ut vocare solemus, Heemantico efformata, ipsorumque Patriarcharum Isaaci, Jacobi, Josephi, Regum item, ut Josiæ, & Judicum, ut Jephthæ & similia; tamen non inficias ire poterimus, si diligenter causas & eventus omnes comparemus, partim divinitus, ac providentia quoque Dei singulari, in futurum prospectante, & boni quoque ominis ergo, imposita fuisse pleraque Illustribus his personis: partim vero tam clara & liquida deducendæ Formæ istorum Nominum ex Futuro tempore, uti quidem hic in prima persona ostensa sunt, vestigia

stigia, haudquaquam conspici; atque adeo magnopere ab illis differre: Ut rem ipsam significationi exacte convenientem, atque alia prophetarum vaticinia, eam confirmantia, taceamus, neque per omnia æquiparanda esse, hinc patere, notemus.

§. XVI.

Atque hinc, rationem adhuc nobis haud suppetere confitemur, quare *toto Novi Testamenti volumine, perpetuo silentio*, vox illa & appellatio Divina, quæ omnem prope paginam, post historiam creationis primo capite Genes. descriptam, in Oraculis V. T. &, quod notabile, inde ab hominum creatione facit, *transmissa* sit: cum ceteris nominibus Summi Rerum Moderatoris respondeant alia satis apposite & significanter, nisi eam perhibeamus fuisse prægnantissimam, quod adventuro olim Messia, Immanueli, accommodata cognominatio, apparenti cum natura assumpta, & jam exhibito, ita ut *σωματικῶς*, & non umbratice amplius, in Christo habitaret Divinitas, ex eo tempore haud erat conveniens, sed a felicitate Novi Fœderis, cum hoc ipso adventu magnifice promulgati, ac reapse manifestati, aliena. Nam si totidem elementis noluisse scriptores sacros appellationem istam repetere, sed æquipollentem substituere, objicias; quid est, quod Paullus Rom. IX. 29. vocem adjectam, nominisque huius additamentum *σαβαὼθ* ex Esaiæ Cap. I. 9. suis apiculis Græce exscriptum, medio sermone sistit, altero, & potiori, in *κύριος*, non exacte profecto isti æquivalens Nomen, converso, atque qua syllabas suppresso. Multo vero minus consuetudini Judæorum aliquid indultum fuisse credibile est. Ad eam enim si respexere N. T. scriptores; cur, quæso, non omni tempore & loco, tantopere recepta inter Judæos nomenclatura, quasi vicaria, *κύριος*, sed etiam *θεός* alicubi expressa le-

C.

la le-

sa legitur? Quid quod difficile fuerit, id ipsum applicare ad ea verba, quibus, cum Dæmone malo disputans, eumque verbo Dei Deut. VI. 16. 13. oppugnans, pro *τετραγεραμυδρα* Christus, ejusque verba referens Evangelista, bis usus est: vocabulum enim *Θεός* pro Hebraico *יהוה* Matth. IV. 7. 10. occurrit. Atque hinc credibilis est, discipulos quoque *τῶ Κυρίῳ* titulum Christo, a Patre sec. Act. II. 38. evecto, tributum, & alias singulariter competentem, pro *יהוה*, in eadem orationis serie, atque alias sæpius, tanquam proprium & pene synonymum Messie, certe, quantum ad rem ipsam, eandem significantem personam, usurpasse.

§. XVII.

Equidem si *Judaorum scripta* in consilium adhibeamus & antiquitates, colligi posse ex illis videtur *ab Augustissimi huius Nominis Enunciatione non omnino olim abstinuisse Ebraeos*, nisi posteaquam, vel in abusum deterrimum profanarum gentium abierat, vel ipsimet superstitiosi ejus profanationem inter suos metuere cœperunt: Unde factum esse arbitrantur, ut, iusta criminum graviorum, circa id admittendorum, formidine, non solum ipsi illud non protulerint amplius, sed etiam aliis, qui consueverant antea, ejus usum interdixerint. Neque desunt, fateor, loca Talmudistarum, quibus illi sacerdotes etiam, qui quondam in benedictione solemnī istud ad populum, sive alta sive submissa voce, (res enim nondum est expedita, quanquam posterius credibilis sit, ut docent *Judæi in Kiddusch. f. 71. (a) l. 32. sq.*) proferre haud veriti fuerant, paullo ante Christum jam intermisisse, testatum fecere. Perspicue satis ex *Bab. Foma. f. 93. (b) l. 5. sqq.* id constat, atque in systema suum *Maimonides* quoque *Hilc. Tphilla c. XIV. θ. 10.* exceptum retulit. At enim vero falsum est, prohibitum illud fuisse publica auctoritate & interdicto; quippe

pe quod nec verba , quibus ll. cc. res hæc descripta legi-  
tur, exposcunt, tum in *Maimon.*, ubi פסקו מלכך כשם.  
tum etiam in Gemara ipsa, ubi נמנעו occurrit. Utrumque  
enim, sensu & notione cessandi atque desinendi, non infre-  
quens est, & l. c. Gemaræ averfa col. (a) l. 4. a fin. statim repe-  
ritur, si placeat conferre: neque etiam reliquæ circumstantiæ  
id permittunt, atque ipse denique *Maimonides* in *Morè*  
*Nebh.* c. 60. vocabulo כמלו aperte magis definit. Illud  
quidem non abnuo, sicuti etiam hæc loca comprobant, post-  
quam *Simeon Justus* fatis concessit, paullatim & pedeten-  
tim, (nescio, quo fato, quave data occasione, nam sunt  
Judæi in his narrandis lubricæ fidei,) ad Nativitatem  
usque Christi intermitti cœpisse, atque, si rationes tem-  
porum rite ineamus, circa Christi ipsius tempora, etiam  
in sacris functionibus, pronunciationem illam, passim alias  
decantatam in Pandectis Judæorum, in desuetudinem abiisse.  
Verum tantum abest, ut nostræ opinioni ex eo aliquid  
noxæ metuamus, ut novo potius indicio inde concludamus,  
Divina singulari providentia illud accidisse, quæ por-  
tendere hoc eventu potius volebat, Messiam adhuc Futurum,  
jam proxime Præsentem illico affore, imo expectatum  
diutissime jamjam adesse, mysteria hujus nominis abunde &  
omnibus numeris reapse impleturum.

§. XVIII.

Quod ne in frivola & levis conjecturæ suspicionem  
adducatur, frustra haudquaquam factum esse similibus aliis  
comonstrabimus. Ita enim l. c. *Foma* f. 39. b. l. 11. sqq., eadem  
occasione data, perscriptum est; חיר ארבעים שנה קודם  
חרבן הכית לא היה גורל עולה כימן ולא היה לשון  
של זהורית מלכין ולא היה נר מערכי דולקוהיו דלתוח  
ההיכל

ההיכל נפהחות מאליהן עד שגער בהן רבן יוחנן בן  
 זכאי אמר לו היכל היכל מפני מה אתה מבעית עצמך  
 יודע אני כך שסופך עתיד ליחרב וככד נתנבא עליך  
 וגו' זכריה בן עדוא פתח לבנון דלתיך וגו' h. e. *Tradunt*  
*Doctores nostri, Quadraginta annos ante excidium templi*  
*(secundi) non ascendisse sortem (cui nomen Domini inscri-*  
*ptum erat, hirci, festo expiationis Deo immolandi, indicem)*  
*dextra Sacerdotis S. (productum) Neque linguam coccineam*  
*(alteri hirci in deserta emittendo alligatam panni rubri par-*  
*ticulam) album colorem (expiationis peccatorum populi per*  
*hos ritus impetratæ quoddam signum (induisse: Neque Lucern-*  
*nam vespertinam amplius arsisse (constanter, sed extinctam*  
*fuisse et mansisse:)) Denique portas templi ultro apertas fuis-*  
*se; ita quidem, ut objurgavit eas R. Fochanan f. Zachari,*  
*dixeritque: O templum, templum! quare te ipsum cum igno-*  
*minia increpas? Novi ego de te, finem tuum & in-*  
*stans excidium imminere; nam dudum prænunciatum est,*  
*Zach. c. XI. 1. &c. Satis aperte hæc ostendunt, non unum ist-*  
*hoc, sed plura hujusmodi omina, Christo adventante, ejus, tan-*  
*quam corporis præsentis, perfectionem præsentem designasse*  
*atque prodidisse; Ficta vero a Judæis talia fuisse, uti CL. Deylin-*  
*gio nuper in observationibus sacris visum est, quis credat,*  
*nisi rerum summam a circumstantiis, ut par est, discernere*  
*nolit, aut rationes rerum Judaicarum ignoret: quos pro-*  
*pria, ut ajunt, vineta cædere voluisse hisce narrationibus, eo*  
*plurimum valentibus, nemo temere affirmaverit. Adde-*  
*remus & migrationes Senatus Maximi ex לשכת הגזית,*  
*eodem circiter tempore inchoatas, nisi jam Christi adven-*  
*tus ex eo signo qualitercunque commonstratus, alibi a nobis*  
*deductus esset. Neque negligeremus quinque illa, quæ ex*  
 secun-

secundo templo abfuerunt, *καίμηλια*, *Arcam Fœd. Urim & Tum-*  
*mim, Schechina, Ignem caelestem, Oleumque unctiōis*, nisi tra-  
 latitia hæc putarem esse & omnibus cognita. Sed quid  
 opus est ambagibus? Cogitemus veli in templo scissi *εις δύο*,  
 uti verba habent Matth. c. XXVII. § 1. coll. Ebr. X. 20; hi-  
 storiam, & ad reliqua ostenta, eam, cum ceteris pluribus, Spi-  
 ritu Sancto ipomet viam præeunte, applicemus, neque ar-  
 duum erit, puto, veram causam, cur Pronunciatio Divi-  
 nissimæ Appellationis *יהוה*, in Messiam prospicientis, omni-  
 modo sublata sit in Novo Testamento, divinare. Atque adeo,  
 quod Zach. c. XIV. 9. de nomine *יהוה* uno, tempore N.  
 T., futuro, & Civitate Dei seu Ecclesia *יהוה שמה* appel-  
 landa prædictum est, non de apicibus totidem, sed re ipsa &  
 æquipollente *Christi Jesu* nomine, intelligendum esse pate-  
 bit: quemadmodum etiam eventus adhuc satis perspicue decla-  
 ratum dedit, quo ipso, dum Christiana Ecclesia, uni Nomini  
 Jesu Christi ejusque salutifero significatui innixa, vocari so-  
 let, hanc nostram sententiam illustrari aperto constat docu-  
 mento, & Sp. S. mentem, per prophetas, phrasi antiquitus  
 recepta, ut solent alias, utentes, corroborari videas.

§. XIX.

Cum itaque *in gratiam Judaorum*, si, uti vulgo fer-  
 tur, ex arbitrio suo illi, non sine superstitione, ab hoc no-  
 mine, quod *κατ' ἐξοχήν* alias *אֱלֹהֵי* vocant, proferendo  
 suis syllabis, abhorruerunt, *similiter & parem ob causam*  
*Sacri N. T. Doctores Scriptoresque abstinuisse* dicendum haud  
 sit: quod res ipsa luculenter docet, & superstitionis abomina-  
 tio postulat: immo verosimilius est, Christum hoc, uti dictum,  
 iusta reprehensione potius castigatum fuisse, saltim  
 in orationibus Matth. V. VI. XXIII. &c. consignatis, quam  
 imitatum; Jam dispiciendum erit, utrum propter profana-

rum gentium, Græcorum nempe & Latinorum, ab usum, tum Judæi, tum etiam ipse Christus cum Apostolis, ejus usu se abdicaverint, ambiguitatis declinandæ gratia. At vero, neque hoc facile cuiquam persuaseris. Nam quantum ad Judæos, aliam illi causam allegant exulantis, e sacris suis, hujus Nominis alias usitati. Perhibent scil. l. c. in *Joma*, factum id esse occasione spectri alicujus & post mortem Simeonis justi, nullamque mentionem illius abusus injiciunt. *Maimonides* autem eadem repetens inquit: l. c. אין מוכירין את השם נכתבו אלא כמקדש בלכד ומשמת שמעון הצדיק פסקו הכהנים מלכרך השם המפורש אפילו נמקדש כדי שלא ילמד אותו אדם שאינו חשוב ושאינו הגון ולא היו חכמים ראשונים למרים שם זה לחלמידיה ובניהם ההגונים אלא פעם אחת לשבע h. e. *Olim non moris fuit, Nomen divinum, ut scriptum est, [Jod he vav he] pronunciare, nisi in Sanctuario s. Templo tantum. Et postquam diem obiit Simeon justus (antiquior eo, qui Christum ulnis excepit) destiterunt Sacerdotes, ita ut non amplius benedictionem impertirent, prolato Schem hamphorasch, licet etiam in Templo munere suo defungerentur; ne quis hominum id audiendo addisceret, qui non esset dignus & idoneus. Neque etiam (haud dubie ex eo tempore) prisca Sapientes (οἱ ἀρχαῖοι Matth. V. 21.) docuerunt id ipsum nomen effari discipulos suos filiosque, alioquin aptos & capaces, nisi una vice per integros septem annos, idque propter dignitatem & magnitudinem venerandi Nominis. Nihil hic de Ethnicorum κακοῦλογία, sed latis superque ineptiarum: quarum nunquam, sine indignatione, quidquam Christo in mentem venisse credimus. Neque etiam erat, cur, ne ex ore Sacerdotum,*

Pagani audirent Sacrosanctum nomen, metueretur, cum notum sit & pervulgatum, interius, כְּרוֹן h. e. ex ordinario suggestu, benedictionem ad populum, & quidem, quantum ad hanc vocem, demurmurando obscurius, ut plerique perhibent, esse recitatam, uti idem *Maimon.* l. c. in *Hilo. Nefiuth. Cappajim.* §. 9. ex *Sota* adduxit: & proinde, ne quidem aditum eo auditumque fuisse istis concessum. Accedit ad hæc perpetuum Apostolorum, ipsiusque *Paulli* silentium, qui cum Jovis nomen ipsi imponerent *Lystrenses*, Act. XIV. 11. 12. ne syllaba quidem in Nomen invecus, aut ἑ Διὸς (cujus Nominat. ζεὺς) ἱερὰς vel reliquos ob talia arguit; sed ἑ θεῶν ματαίων ad Deum verum & vivum, ut sese converterent, jussit, cetera, quæ ad vocabulorum hujusmodi sonum aut ortum pertinerent, floccipendes. Neque *Lucas* in sequentibus Act. XIX, 35. & XXVIII. 11. Διοσκειρὸς ἀγάλματ' atque Διοσκάρων, qui habebantur Jovis filii, mentionem injecisse, historiam dum recitaret fatorum *Paulli*, religioni sibi duxit, aut piaculum esse existimavit. Denique, ubi commodissima fuerat occasio, quando in θεῶν ἀγνώστῃ aram etiam incidisset Athenis idem *Paulus*, nominibus relictis, etiam Deorum Principis, Jovis nomine Latinis maxime decantati, idemque parum curans, satis habuit, ab inani cultu ad Christum, ut ejus in resurrectione mortuorum salute plenissime perfruerentur, illos manuducere. Ut adeo tutius sit, in illa, quam supra reddidimus, caussa, intermissi & exulantis e N. T. τετραγράμματος, conquiescere: nisi etiam propter *Adoneum* & *Adonidem*, *Jovem* & *Bacchum Sabazion*, *Silenos* Bacchi comites, *Vestam*, & quæ sunt ejusmodi portenta, quorum in Delphis Phœni-cissantibus plurima notavit *Dickinsonus*, אֲשֵׁי הַשָּׁמַיִם / אֲרָנֵי / צְבָאוֹת &c. abstinendum fuisse dicere velimus.

§. XX

§. XX.

Fallor, an hanc Futuri temporis notam, in nomine divino, longius, atque ad Messiam potissimum, prospicientem, tanquam præcipuum illius Momentum, quasi e ceteris excerptum, studiosissimeque expendendum, prisci quoque & Christo vicini *Targumiste* commendare voluerunt: Quando scriptionis compendio, quo alioqui non solent temere uti, illud per sola elementa Jod, sive duplicata, uti ך, sive ךׁ, ter repetita, quantum ex hodiernis, quæ superant, monumentis colligitur, sæpe expresserunt: Cujus posteriorit scribendi formæ exempla in Manuscriptis *Hinckelmannianis* me quondam videre memini & CL. J. H. *Majus* locupletissimus in Differtt. sacris testis est. Ubi, licet a Majorum sententia, (talibus symbolis arcana ut plurimum sensa complexorum) vitiosior progenies hodierna sensim deflexerit, & reconditos significatus male neglexerit, haud dubie a patribus quondam acceptos, quemadmodum solent in exscribendis voluminibus sacris esse supra modum curiosi; tamen nobis luce divina perfusis incumbet sublimius quiddam, h. e. orbi universo salutarem *ἰπιφθνεαν Ἐ θεῶ καὶ Χριστῶ*, cordisque divini, in Christo, patefactionem, & quæ sunt cum his connexa, aliunde requirere & modeste rimari.

§. XXI.

Sed quid multis in Critica antiquitate pingendarum literarum, eaque plurimis adhuc ambagibus involuta via, morabimur. Habemus in ipso N. T. *Messia consecratum* Nomen ΛΟΓΟΣ, quod apertissime illud docet, quoque eodem, non in Evangelii tantum exordio plane illustri, sed etiam in Epistola priori extrema, inter ceteras Divinitatis trinunius personas, extra controversiam nominatur a *Johanne C. I. 1. sqq.* & *1. Joh. V. 5.* Christus. Quid autem aliud, quæso, hac tot  
 erudi-

eruditorum obnoxia voce, mysterii, uti omnes fatentur, plena, indigitari credibilis sit, adhuc non perspexi, quam quod in Ecclesia Judaica, antiquis temporibus, ore omnium valde tritum fuit **נרמ**, h. e. **ושן**, uti Judæi enunciant, præeunte Lev. 24. seu **ἐξάριστον** atque in N. T. jam revera **ἀνεκφώνητον** Messix adventum, cum crucis Mysterio jam tunc impleto, recondita notione comprehensum gerens, Jod He Vav. He. Ostendunt illud, non solum Targumistarum Veterum, & ab æqualibus in ipsis prope initiis Novi Test. labores consignati qui superant, utilissimi & a fabulis Judaicis, quibus posteriores scitent, puriores; sed etiam aliis signis & documentis jam dudum ex instituto evictum est, plurium eruditorum industria, abusu quoque ejus vocis, qui interdum occurrit, ubi ad alia transfertur sensu reciproco, utut rarissime, simul commonstrato. Quanquam enim **ὀνόματι** & dictione, itemque **προσυγορίας** notione, *Philo* atque *Josephus*, ubi de Sanctissima hac nomenclatura agunt, utuntur, & **πεὶ ἔδέμεις μοι εἰπῆν** hic addit, ipsumque adeo **τετραγράμματος** haud dubie intelligit; tamen etiam per **λόγον** a Sp. S. ob alias significationes quasdam simul admittendas, de quibus Theologi exponunt pluribus, Hebræorum **ושן** reddi potuisse in proclivi est probatu: maxime quod apud Græcos etiam hac notione usurpatur, velut ex pervulgato convitio patet, quo verba & vocabula pro rebus dantem **λογολαίδαλον** nominare solent. In ipso N. T. **λόγον** pro verbo unico Centurio Matth. VIII. 8. accepit: nec desunt, qui satis probabiliter prohibitam a Christo **πολυλογίαν** Matth. VI. 7. de Deorumque **πολυσημίαν**, nec Judæis neque Ethnicis insolita in precibus, interpretentur. Idemque videtur omnino etiam spectasse antiquissimus, ut vulgo fertur, Syrus Inter-

D pres

pres, qui λόγον per  $\Delta$  transtulit, atque ita Luthe-  
 ro, nostræque vernaculæ, vocem  $\Delta$  usurpanti, ex asse  
 consentit: ut alia omittamus. Multo certe expeditior res  
 omnis erit, si hanc rationem atque viam ineamus, quam si  
 alias causas longius petitas accersamus, sive ad originem  
 filii a Patre nati sive officium Christi attinentes. Omnium  
 vero minime ad λόγον Philonis Platonicum respexisse Jo-  
 hannem hinc elucescet. Nam, *etsi* valde etiam *incertum*  
*est*, utrum vel fando aliquid de Philone Iudæo Ægyptio,  
 Platonismi amatore, aut scriptis ejusdem inaudiverit Io-  
 hannes, multo magis huic opinioni obstat altum de hoc  
 λόγον in Hellenistarum Græca Versione, aliqua saltim parte,  
 superstite, silentium, & Iohannis ipsius liberior in allegan-  
 dis V. T. locis consuetudo; *satius tamen videtur*, si, tan-  
 tisper seposita styli profani imitatione minime probabili, ex  
 ruderibus veritatis, cum rei ipsi, tum etiam moribus Iudaici  
 cœtus, in quo educatus ille fuerat, convenientissime de-  
 promptum dicamus, & τετραγράμματος sanctum, licet dis-  
 crepare literis a λόγον videatur, tamen re vera unum  
 sonare affirmemus. Quodsi ita sit, jam velim indicetur,  
 utrum ex superstitione Iudaica, (quam absit imputemus θεο-  
 πνεύσω auctori,) malis omissam credere, quam religione  
 laudabili, qua callenti Iohanni sensum divinum accuratiori  
 notitia, Futuri Messiae, at jam exhibitæ, indicem vocem non  
 congruere amplius ad N. T. rationes, atque Evangelii nunc  
 promulgati veritati, si repetatur, quodammodo obloqui,  
 a nobis creditur existimatum esse.

§. XXII.

Equidem non ignoramus, quæ vulgo circumferatur  
 sententia, multis anticipata: Non esse nomen hoc sacrum  
 ob

ob has causas nullibi in Nov. Test. volumine exscriptum, suis literis & vocalibus, puta, in Græcos characteres simpliciter translatis; quia nempe rite illud fieri nequeat, cum, ob defectum consonantis  $\eta$  & adspirationis eidem in Græca litteratura æquivalentis, in media voce hodie saltim collocandæ, neque scribi neque commode enunciari possit. Sed animum advertere oportebat eos, quicumque hanc causam exulantis ex N. T. venerandi vocabuli obtendunt, non deesse exempla alia, simili forma apud Hebræos scripta & usu valde trita, imo ex quorundam opinione inde derivata seu composita, quæ Græcanicis elementis a sanctis Evangeliorum conditoribus descripta hodieque conspiciuntur, uti sunt Cap I. Matth.  $\text{Αβραάμ, Ισδα, Ρ'οβοάμ}$  & notatu dignissimum  $\text{Ιοσαφάτ}$ , quæ partim cum nostro prorsus conspirant, partim, quantum ad præsens negotium, non aliena sunt. Sicut &  $\text{Vav}$  Hebr. in Regio nomine  $\text{Δαβιδ}$ , & Sacerdotis clarissimi  $\text{Λεβι}$ , heic & in Epist. ad Hebr. in  $\tau$  Græcorum commutata cernimus. Et tamen, quod iterum monere non pigramur, (neque enim de nihilo putamus esse) Paullus Rom IX. 29. ex Es. I. cap. nonum segmentum  $\text{κατὰ πρόδα}$  recitans, ita quidem ut Hebr. cognomentum Dei  $\text{יהוה}$  non in aliam Græcam vocem transfundat, sed nudis apiculis, Græcæ litteraturæ attemperatis, ipsisque elementis suis ( $\text{Σαβαωθ}$ ) oculis lectorem subjiciat, alterum divinius quasi gravissima aliqua adductus causa, non amplius repetit, sed consuetum sibi & collegis suis  $\text{Κύριος}$  ejus loco adhibet. Eoque ipso non tam haud posse in præsentem, & lingua quidem sua, qua utebatur, quam neque velle neque debere se lectoresque suos,  $\text{διὰ τῆς ἐνλαβείας}$ , idem eodem jure, quo alterum, enunciare innuit, utpote gratiæ, cujus illud olim fuerit prænuntium, compotes jam factos, &

in futurum Christi adventum neutiquam, uti Judæi increduli, adhuc prospectantes.

§. XXIII.

Quibus rebus jam porro lumen etiam accendetur clarius *Memorabili Christi jam presentis* Patrisque simul cum Spiritu in filio se manifestantis, *titulo*, quo creberrime ὁ ἐρχόμενος, sensu vocis eximium quiddam & proprium sonante, *audit*, Matth. XI. 2. sq. Joh. VI. 14. Matth. XX. 9. Apocal. I. 4. 8. Ideo enim isthoc participium, temporis presentis, videbatur Novo Testamento aptius, quo jam comparuerat Messias, Deique Patris etiam cor clementissimum apertum prorsus per eundem cunctis sistebatur, quia futura de eo vaticiniorum argumenta, atque ipsius sacratissimi Nominis יהוה mysterium, non implendum amplius, sed completum, spectari quasi coram poterat. Quæ si aliter comparata fuissent, non presentis, sed Futurum quoque per ἔσται vel ἐσόμενος esse- rendum, requisivissent. Idemque præter Psalmum XL. 7. sq. coll. Ebr. X. 5., ubi similiter Participium εἰσερχόμενος, presentis forma & notione, legitur, etiam Malach. III. 1. sq. proclive est ad personam, a Filio Dei Messia distinctam, uti verba inspecta docebunt, applicare. Equidem, si Apocalyp. I. c. consideremus cum studio & attentione, colligi hinc posse videtur, Participium ἐρχόμενος, formam referens presentis temporis, futurum sonare, quia cum presentis atque præterito, ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν, conjungitur, Deoque Patri c. I. 4. describendo & a Spiritu Septiformi atque Jesu Christo aperte distincto tribuitur. Sed, quemadmodum posteriori dubio occurremus suo loco, atque breviter jam paulo ante rem ipsam subindicavimus: ita, quod ad primum attinet, tametsi non abnuamus, usurpari hoc vocabulum interdum Futuri sensu, uti Joh. XVI. 13. & Act. 18. 21., ex quorundam sententia

sententia ; tamen hic inhærere malumus usitatissimæ certissimæque significationi, eo magis, quo clariora præsto sunt signa, hujus vocabuli, de rebus N. T. & complemento veterum in Christo, ut vidimus, quasi in summa *καὶ ἐν ἀνακεφαλαίωσει* congregatorum, agentis. Quemadmodum etiam plane persuasi sumus, hac nomenclatura integra, minime omnium ad æternitatem divinam, jam per A & Ω satis explicatam, respici, quam, quod in V. ac N. T. pariter Dei summa & communis gratia agnoscenda prædicandaque & reverenter habenda sit, indicari. Unde etiam in locis parallelis e. g. cap. XI. 17. sola, *ὁ δὲ καὶ ὁ ἦν*, expressa inveniuntur ἐρχόμενῳ, tanquam ad descriptionis istius complementum non æque pertinente, plane omisso. Quod autem in Codicibus nonnullis participium ἐσομεν, Futuri manifesta nota, deprehenditur, Apoc. XVI. 5, parum nos morabitur ; cum nemo sit, qui ignoret, pene solius Bezae, difficultatem hic ex ipso participio Præsentis formæ odorantis, ejusque MSCtorum, semper aliquid novi afferentium, ductui, non semper optimo, deberi hanc lectionem, nec, ut a consueta lectione discedamus, sua cum auctoritate aut ratiunculis, plane frivolis, efficere illum posse.

§. XXIV.

Neque etiam, si rem recta via reputemus, idem in *Oraculis Prophetarum* non clarissime fuisse prænunciatum existimabis. Sane luculenter eo spectare videntur, quæ pridem inter alia prolocutus est *Esaias* Vates c. L. II. 6. Ubi *populum Dei*, in N. T. *Nomen Divinum*, ex eo, quod ipse *Dominus Præsens adfuturus sit*, & cum suis coram collocaturus, (יהוה) significat *cogniturum esse*. Jam vero de nullo, quam Tetragrammato nomine Dei sermonem ibidem fuisse, cum inde liquet, quia nullius omnino, nisi ejusdem, vel obscurum sal-

tem vestigium, in orationis totius serie occurrit, tum vero hujus  $\text{יהוה}$  aliquoties totidem syllabis, & versu statim *ἀμείων* precedente, injicitur mentio. Ad quod accedit consuetudo Scripturæ perpetua, Dei nomine  $\kappa\alpha\tau' \epsilon\lambda\acute{\alpha}\chi\eta\nu$  in Tabulis V. T. isthoc, mysteriorum plenissimum, denotandi infinities. Usque ad cap. VII. vero retrogredi, atque inde Immanuelis nomen, Filio Virginis proprium, repetere & ad præsens institutum applicare longiores ambages prohibent. Quodsi autem hoc obtineamus, consequens esse videtur, adventum Messiaë, atque cum eo patefactum Dei de salute nostra consilium, antea expectatum, post decursum V. Testamenti divinitus magnificentissime præstitum, Mysteriorque crucis, sequenti capite fufius descripto, omnem rationis captum excedente, illustrissimum, hoc etiam loco designari, & tanquam divino illo nomine comprehensum denunciaturumque, describi. Certe ad significata partium singularum, quibus id constat, ut supra expositum est, pulcherrime hoc Esaiaë vaticinium de Messia, se præsentem exhibituro, quadrat verbum ab eodem sibi met ipsi inditum; cum existentia vero æterna Numinis Supremi isthac orationis serie illud minime omnium convenit, quippe quam semper exploratam perspectamque Ecclesia habuit, neque adeo in N. T. demum, Christo adventante, cognoscere erat necesse: adhæc etiam de eadem, nisi parcius, suos eundem Servatorem informasse, in Scriptis Novi Testamenti omnibus animadvertere licet.

§. XXV.

Parum igitur abest, quin animum inducam meum, *divinioris hujus veritatis partem aliquam*, sed, ut solent, fabulis & mendaciis conspurcatam ex traditione gentis antiquissima, fordes hæcæ temporum iniquitatibus facile trahente, *relinuisse*

nuisse *Judeos*, sequenti narratione abdita, ex vetustioribus monumentis recitata a *R. Simeone baddarshan in Falkuth Vet. P. II. f. 119.* (a) Psalm. XCI. אמר ר' יהושע בן לוי בשם ר' פנחס בן יאיר מפני מה ישראל מתפללין בעולם הזה ואין נענין על ידי שאין יודעין שם המפורש אבל לעתיד לבוא הקדוש ברוך הוא מודיעם שנאמר ידע עמי שמי וגו' h. e. *Josua filius Levi, nomine R. Pinehasi fil. Fair allegato, dixisse fertur: Ideo Judeos in presenti mundo orantes non exaudiri, quia Schemhamphorasch non intelligant; forse autem in altero aeo (quod cum Messia adhuc miseri frustra praestolantur) ut istud perspectum plane habeant, sec. Es. 52. 6. eoque tempore, si preces fundant, auditum iri.* Etenim, si ad Joh. XVI. 23. 24. oculos mentemque convertas, non solum reapse impletum illud esse praestitumque, ex ore ipsius Servatoris, a Judæis sceleratissime ad hunc usque diem neglecti contemti- que, comperies; verum etiam cognitionem istam Nominis Sacrosancti, neutiquam ex portentosa & puerili Alphabe- torum Cabbalisticæ artis, quæ alioquin istis probantur, permutatione investigari debere rescisces, & ex reali promissionis, de Futuri olim Messia adventu atque ærumnoso humilitatis ejusdem statu, viliorique, in speciem, rationi lascivi- enti, visa Evangelii doctrina, ipso sole clarius intelliges esse hauriendam; ita ut, cognita ea & intellecta, preca- tionibus ad Deum cum successu impetrandæ salutis tunc de- mum uti fas sit. Neque obstant his aliæ, nescio quò infau- sto sidere orta, aliorum Judæorum somnia, qui Messiaæ adventum, plane contraria sententia, quod usque eo non licuerat cuiquam efferre, nomen isthoc proferendum esse perhi-

יודעין שם המפורש

perhibent. Nisi enim plane perverterunt posterius Majorum mentem olim sanioem, ut alias sæpe consueverunt; intelligenda erunt de vero officii, quo Messias fungetur, ac divinitus manifestato sensu atque doctrina, vel quacunque alia interpretatione, si modo operæ pretium sit aliquo in id impenso studio ex sterquilinio hoc Talmudico amplius aurum colligere: Est enim quod in sacris oraculis multo rectius & purius reperias, uti, præter alia superius adducta vaticinium illud illustre docet, quo צמת דויד יהוה ערקנו appellandum esse Jer. XXIII. præsignificatum est; quod quidem cum sono factum non sit, sensu tamen in officio a Messia ingenue peracto completum esse Christianorum nemo dubitat.

§. XXXI.

Non dubium igitur est, uti meliora & firmiora huic rei probandæ vaticinia Scripturæ inserviunt: ita notabilem quoque imprimis huic pertinere & respicere *Inscriptionem Summi Sacerdotis*, quam in *Frontali* divino jussu gestavit suo, laminæ aureæ insculptam, uti legitur est Lev. VIII. 9. & clarius Exod. XXVIII. 36. Sive enim קודש יהוה his duobus vocabulis integre positus, (una angemina lineâ, non definimus) exscriptum fuerit; sive solum τετραγραμματον, seu, uti Philo & Josephus, ille L. III. de Vit. Mosi: hic autem L. III. A. J. c. VIII. loquuntur, τὸ ὄνομα h. e. sanctissimum Nomen solum: quorum alter haud dubie non semel, ipse quippe Sacerdos, coram adspectavit; tamen inter omnes, credo, erit in confesso, ut Sacerdotum functiones universæ, ita præcipue *Antistitem Sacrorum* primarium gessisse ejus typi illustrem Characterem, atque hujus rei *compendium comprehensum fuisse voce & titulo isthoc Futuri Summi Sacerdotis* in quo Nomen Dei jam

jam olim Exod. 23. 21. quasi digitis Moſi demonſtratum fuerat, *alio habitu licet ibi deſignato*. Jam vero, ſi hac incifa laminæ nomenclatura **קודש קדשים**, (uti apud *Danielem* c. XI. verba habent Angeli) h. e. Meſſias delineatus fuit, idque præſertim ex Nomine ſolo **יהוה** inſculpto eluxit, tanquam in imagine, *ὡς ἐν τύπῳ*, repræſentante quicquid in Chriſto futurum eſſet myſterii; Quid nos quæſo morabitur, quo minus dicamus, ipſum corpus exhibitum juſto tempore, dudum præfixo, cum Sacerdotium iſthoc, tum etiam Nomen Futuri Sacerdotis Maximi, notamque Hieroglyphicam ejusdem, obliteranda fuiſſe, neque, vel alterutrum horum vel utrumque, cuiquam revocare aut repetere licitum eſſe: niſi qui *τὴν εἰκόνα τῶν πραγμάτων*, poſt corpus exhibitum, male reſuſcitare, atque iſtius præſentiam ſimul inſiciari quodammodo auſit. Prædictum id fuit, ut nobis quidem videtur, loco jam ſæpius citato Exod. III. 15., ubi, plane ſicut de reliquis Cultus Levitici, partibus dictum reperitur **זה שמי לעולם לדור ודור**. Et hoc conſilio haud dubie, cum toto, quantus quantus erat, apparatu Sacerdotii Judaici, poſt completum V. T. tempus, jam olim definitum, ſubtracto & jam obſoleto, ipſa quoque Bractea iſthæc, incifi Nominis Sancti typum habens, poſtquam ille, cujus monumentum tantisper eſſe debuerat, adventavit, interit. Quicquid etiam de viſo ſibi Romæ hoc Fragmento Sacrorum ornamentorum R. *Elieſer* mentiatur, & ceteri verpuli nugentur, de Miraculis Moſis atque ipſius Chriſti, ſacrilego furore miracula omnia hujus Nominis ope eſſe facta fingentes, & forte cum re ſignificata, Moſis inſtituta, ad Chriſtum ſpectantia, Chriſtique *ἀντίτυποι* eo relatam, cum apicibus & ſyllabis, ſcelerata impietate confundentes; vel ex verbi **יהי** *Esto*, uſu, quo, ſicuti in prima rerum creatione factum, *λόγῳ* uno, ut Centurio inquit Matth.

E

VIII.

VIII. 8, Christus & Moses miracula sua ad nutum patrarunt, inepte talia exsculpentes.

§. XXVII.

Atque hæc cum ita se habeant, quæ de Forma Nominis τετραγραμμάτα in medium prolata sunt, tanquam Messia, Deoque per istum manifestando proprii; Jam quoque spes erit vexatissimæ inter Philologos quæstionis solvendæ: Unde nempe *Jod ultimum in ידני* sacro, a Judæis pariter & Christianis pro illo usurpari solito, *ortum habeat?* Etenim, ut pro suffixo primæ personæ, in numero plurimum, Hebræis alias usitato, id agnoscamus, evidentissime prohibet constructio, & sæpenumero a prima persona longe discrepans orationis totius cohærentia. Adhæc non convenire videtur, ut pro Paragogica simplici, (נוספורה appellat Hebræi hujusmodi litteras,) solius ornatus gratia h. e. significatu otioso addita venditemus: illud enim de nomine Dei singulariter notato affirmare nefas erit. Ergo tandem relinquatur, ut congruentem ad cætera ejusmodi nomina eidem tribuamus sensum, qui profecto non facilius intelligi poterit, quam si primam litteram ex יהיה Futuri temporis, consuetam alias suo loco notam, inde decerptam atque in fine hic pro nominis ratione, annexam & quasi assutam conjiciamus. Eademque de causa, quia elapso V. T. expiravit illius quoque significatus, futuri temporis index, neque istud, suis elementis exscriptum, usquam in N. T. tabulis reperiri haud vana conjectura pene ausim affirmare, Tantoque magis confirmatur animus in hac suspitione, quo certius est, nulli locorum alicujus pronominis, aut pluralis numeri, quælibetque vestigium, etiam ubi κύριος Gr. ejus vices sustinet, inll. cc. expressum esse. Atque hoc si ita sit, ne hanc quidem vo-

cem

cem a Judæis & Christianis permultis, pro altera *JodHe Vav He* augustiori, tam tritam & frequentatam, quippe itidem Futuri Messiae ejusque adventus instantis seu imminentis, minime vero *ἔρχομένη*, ut characterem memorabilem Veteri Testamento proprium, jam cum ipso corpore evanescentem, hodie repetendam esse, parum abest quin asseramus. Idque tanto magis fidem meretur, quo clariora sunt in N. T. hujus nominis & Tituli Messiae, sed omisso illo *Jod*, jam non amplius huc congruente, proprii omnino facti vestigia: ut quando 1. Cor. VIII. 6. *Unus Dominus Jesus Christus* appellatur, qui per officium redemptoris nos in libertatem asseruerit; in quo loco ab Arianorum & Socinianorum abusu vindicando sic omnium brevissima via nodus, ab adversariis nexus, dissolvi poterit.

§. XXVIII.

Paulo secus vero atque mitius existimandum putamus de *Breviori DEI Summi Nomine יה* in Lingua Hebraea notissimo. Tametsi enim illud etiam separatim nullibi in N. T. Libris occurrit exscriptum: tum vero hominum quorundam Nominibus ab initio & sine additum, quod explicatio per אל adjectum alterius formæ, e. g. in יהוים & אליקים. Item נתנאל & יהונתן manifestius prodit, & ipsum veritus est enunciare Matthæus, Cap. I. pro Jeho seu Jeo, *Josaphat* scriptum relinquens; Attamen pro symbolo tantum divinitatis communi nemo non, opinor, illud accipiet: præsertim, ubi cum verbis compositum in unam cum illis vocem coaluit, aliamque quasi naturam induit. Atque hinc etiam factum est, ut semel iterumque, e cælis ejusdem se inaudivisse sonum, Beatorum & Angelorum clamore, cum tripudio *Hallelujah* enunciante, Apoc. XIX,

cap. Johannes commemoret : cujus alias vel volam vel vestigium in toto, nisi fallor, N. T. necquicquam exquiras. Cetera vero in incerto posita esse, & ad reliquorum Nominum Dei rationes, ex certis Radicibus verborum aut nominum cognoscendas investigandasque, revocari isthoc, adeoque, utrum Jod istud temporis futuri signum sit, nec ne, dici haudquam pro certo posse, nemo inficias ibit. Certe, si quis ex posterioribus radicalibus verbi יהי decerptum id arbitrabitur, He mobili reddito, ut *Pelagus substantie Divinae infinitum* denotet, & ab omni temporis futuri nota hunc in modum alienum sit, vix erit, quod cum specie aliqua ita existimanti obvertere possis: tantum abest, ut necessario ex prima syllaba  $\xi$  τετραγραμμῶν ortum sit, imo, si ita sit, etiam non commode posset apud Prophetas cum ipso Nomine יהיה, uti tamen exempla ap. Esaiam docent, conjungi.

§. XXIX.

Quare missis his ambagibus, major in speciem difficultas nos & gemina quidem occupatos tenebit: Quarum altera a *Nomine Jesu*, ex Futuri forma itidem orto, & tamen multoties in N. T. iterato; altera vero ab usu  $\xi$  τετραγραμμῶν, in Vet. Fœd. Commentariis, non uni personæ proprio, sed tribus & omnibus communi, exurgit. Harum vero prior nullo negotio superabitur, si omnino *neges*, quod vulgo quidem fertur, *ex Futuro tempore id formatum esse*, eum in modum, quo יהושוע, Mosis in officio successoris nomen exhibetur scriptum: Sic enim si res comparata esset, Cholem syllabæ primæ, uti in Josaphat, ac proinde in Græca literatura *Ιουδης* potius, quam *Ιησδης* exprimendum fuisset, eliso Scheva mobili, ex natura & indole linguæ forte omitendo: quemadmodum etiam, pro יהודה non *ידא*, sed *ידא* supra anim-

adver-

adversum est scripsisse Matthæum. Neque obstat, quod hodieque in Vers. τω̄ν LXX. iisdem literis Dux ille populus Dei fortissimus nominatur; quum non sit dubium, ab antiquissimis Ecclesiæ Christianæ, cum scriptoribus, tum descriptoribus &, quæ adsunt evidentissima alienarum manuum vestigia, Correctoribus etiam, diversi generis temporisque, ex N. T. illud nomen sit in V. T. versionem hanc, olim omnium manibus tritam & maximi habitam, translatum: quemadmodum plura fortassis exempla, ex Epistolæ ad Hebr. c. XI. & XIII. locis, ejusque valde vexatis vocabulis  $\rho\alpha\beta\delta\theta$  atque  $\kappa\delta\gamma\theta$  alibi proferenda in medium, non obscure demonstrant. Quæ cum ita sint, commodius ex ipsa & sola quidem Radice  $\psi\psi$ , in prima flexione olim obvia, sicuti derivatum hinc nomen  $\psi\psi$  comprobatur, salvo significato ab Angelo indicato, & respondente huic etiam quam optime  $\Sigma\omega\tau\eta\zeta$  splendido titulo, per Apostolos explicato, derivabimus: ita quidem, ut, si exemplum requiras simile ad illustrandum hoc Nomen Christi, hominis nominisque sine exemplo singularis, illud Esr. V. 2. in *Jeschua*, Hebr.  $\psi\psi$  filio Jozadak reperias. Immo ex eodem forte, aliter Zach. III. 1. sqq. scripto, similibusque pluribus, jam tandem a scrupulosioribus conjici poterit, neque hoc, neque alia ejus generis cognata, hominibus propria, syllabam  $\eta\eta$  præfixam habentia, ex Divino  $\eta\eta$  deducenda esse, sed memoriam potius  $\zeta\eta$ , & insititium hoc elementum, ex Patris *Abrahami* fausto nomine, boni ominis captandi gratia, felicitatisque spe, pari modo obtinendæ, referre: atque adeo, quia Dominum non decebat illa ex Servo cognominatio, Jod radicali retento, in Nomine *Jesu* constanter additamentum hoc omissum esse, omnemque proinde Futuri temporis notionem exspirare. Hoc tamen fa-

cere non possum, quin moneam, cum Messia jamjam concepto natoque significantissimum nomen ab Angelo inditum sit, vitio nobis verti non posse, si in Veteri nomine משיח, ab ipso Messia, Angeli quondam foederis nomen non respiciente, sibimetipso imposito, cum Futuri temporis apertissimo, in prima tertiaque personis, signo, haud dissimilia mysteria, absque λεπτολογίας vitio, & nos exquiramus.

§. XXX.

Sed alterum quoque scrupulum e via ut removeamus par est, qui plus, fateor, in recessu habet; licet neque hujus invidium robur esse videatur. Ne quid enim dicamus de locis, in quibus occurrit hæc vox augusta, pene universis, optime omnium ad Personam Messia quadrantibus, tametsi repetita sit, bis, ter aut pluries; Est etiam quod ex ipsa Divina perfectione & Oeconomia Evangelii huic rei accedat lumen. Nam quis inficiabitur, nisi qui ipsum S. Trinitatis mysterium omnino neget, partim unam esse eandemque Naturam Dei, neque numero, neque specie, ut cum Philosophis loquamur, multiplicatam, quæ Patris & Filii & Sp. S. est; quod vero superest, inter abstrusa & rationi humanæ impervia numerari oportere. Quando itaque illud, tanquam indubium, ex revelatione Dei manet & consistit, quod de unita humana natura cum Filio Dei, quatenus est Filius seu persona divina genita καὶ ὁ λόγος, ex Joh. I. & Hebr. II. atque Gal. IV. &c. recte docetur, equidem certum etiam erit & exploratū, nec Patrem, neque Sp. S. assumisse humanam naturam in Maria virgine, ut cum ea definite unum ὕψις ἀμείνον constituant. At enim vero, neque istud etiam poterit quis abnuere, sed in confesso, opinor, erit inter omnes hoc de mysterio ad Scripturæ ductum sentientes: Licet Filius Dei ille sit, quem ut Θεάνθρωπον, Messiam, Immanuelem &c. pia veneramus fide:



tantum valentibus, desisse istoc Symbolum usurpari, quid amplius obstat, neutiquam perspicio.

§. XXXI.

Restat unum illud, quod ex verbis ipsius Dei Exod. III. 15. colligitur dubium, de *aterno* לעולם, uti vulgo reddunt, & לדרור ודרור in *generationem atque generationem* continuando sanctissimi hujus Monumenti, tanquam זכר divinitus statuti, usu. Enimvero non desunt, quæ his etiam scrupulis opponi possint. Notum quippe est & pervulgatum, neque priorem vocem, neque posteriorem formam loquendi & constructionem, æternitatem infinitam necessario denotare, sed prius quidem לעלם (ut omittamus hic Masoretharum nugas in לעלם id convertentium) pro circumstantiarum ratione, quæ sunt norma definiendæ ambiguae significationis in diversis orationibus, alias æternitatem proprie sic dictam sine fine durantem, alias vero durationem designare ad systema aliquod negotiorum longissime prorogatorum ac certi temporis, utut remotissimi, curriculum, adstrictam; Posterius vero quod de generatione una alterave dicitur, explicandi prioris vocabuli gratia, haud dubie additum, non omnes in universum, sed plures tantum ætates hominum seu secula innuere tratatitium est, & aliis vocabulis, in hanc sententiam sæpenumero occurrentibus ac repetitis, facile comprobari posset. Unde etiam, ceu supra jam subindicatum est, institutis Leviticis & ad V. T. ævum tantum pertinentibus, e. g. Circumcisionis ritui sacro Gen. XVII. 7. 12. & Sabbatho Judaico Exod. XXXI. 16. sq., & fortasse aliis similibus ceremoniis, tandem expiraturis cum V. T. periodo, eadem formulæ leguntur adhibitæ: quas, qui de æternitate infinita, aut hujus saltim vitæ ad finem mundi terminis

nis

minis circumscripta explicare velit, haud ingratum Judæis fecerit, eo anxie contendentibus; qui autem de generationibus h. e. ætatibus Oeconomix Mosaicæ acceperit, ei, credo, clara & expedita erunt omnia. Sed faciamus etiam, prescius hæc de perpetuitate, dum orbis hic adspectabilis consistet, intelligenda esse; Num apices & sonum vocabuli putabis semper repetendum ingeminandumque: an potius rem ipsam his signis, uti supra condocfecimus, significatam? Certe de Immanuelis nomine vel ipse Angelus atque Matthæus Evangelista, de Jesu nomine ab eo imposito agens & Esaiæ haud dissimile vaticinium allegans, ad sensum potius quam ad sonum respexit, nobisque clavem adeo & hoc nomen, ejusque usum atque vim, in Nomine *Jesu Christi* repræsentatam designari, ut intelligamus, porrexit. Quæ si ad Mosaicæ quoque fœderis partes cunctas, qua externos ritus etiam tandem in N. T. desituras, qua rem ipsam vero, umbra isthac quondam utcunque delineatam, sine mutationis metu magis stabiliendas, applicare velis, ipso *Paulo* in Epistola ad Hebræos viam præmonstrante, & alibi, e. g. Col. II, 11. Rom. II, 28. &c. pluribus confirmante, non video, quid solidius Judæis æternitatem Mosaicæ legis crepantibus & compendiosius responderi queat.

§. XXXII.

Adderemus adhæc, illustrationis causa, ex Epist. ad Rôm. V. 14. ipsum τὸ μέλλον conceptis verbis *Christo attributum predicatum*, quod exacte satis Hebræo אָדָמָה respondet, nisi ad præcedens Adami Nomen mallent plerique referre: quod tamen si ita sit, certe Græcorum δεύτερ videtur fuisse convenientius, ut typus posterioris seu alterius Adami, respondentis primo, qui scopus est Apostoli, clarius exprimeretur. Sed nolimus huic scrupulo longius inhærere, neque etiam similem ob causam Phrasin Matth. V, 18. urgere pertinaciter lubet, ubi

F de

de implenda lege occupatus Christus, adeoque in munere suo, olim tam diligenter prædicto, definite versatus, *ne unum quidem Jota* aut apicem etiam periturum ait, donec omnia, a se puta, impleantur, ad hoc forte Jota in Nomine τετραγεµµατω respiciens. Illud tamen prætermittere non possumus, (quoniam ab Hottingero jam pridem animadversum,) quin vera genuinaque Nominis hujus divini Puncta non alia credamus esse, quam יהוה seu יהוה, atque ita quoque non dubitemus & lectum fuisse constanter, primis Ecclesiæ Judaicæ temporibus, & a Sacerdotibus obscuriuscule (ad quam rem aptissima sunt vocales cum literis his quieti vicinis conjunctæ) enunciatum, in Summi Sacerdotis lamina cum esset exscriptum, tam diu, donec οἱ καιροὶ τῆς διορθώσεως adessent, & periodus Fœderis antiqui elapsa foret: cujus formæ integræ & simplicis, de re quacunque alia imposterum exitura, nusquam in tota Scriptura Sacra occurrit exemplum, ut vel hinc Nominis, hac formatione & structura Deo proprii, eidemque soli conservati, notam advertere queas. Quin imo prope affirmaverim Eccl. XI, 3. puncta prorsus anomala in יהוה, ipsamque literam ultimam ה in כ consulto mutatam, significatione tamen verbi simplicis servata, non aliunde originem accepisse, nisi ex metu sacrae hujus pronunciationis antiquæ & priscis Judæis quoque receptæ cum vulgari hac vocula confundendæ: Ejus enim rei aliam rationem, quæ scrupulosæ menti satisfaciat, vix redere quisquam poterit.

§. XXXIII.

De altera hujus divini Nominis parte, qua ex Verbo יהוה deducta adscitaque notione, ærumnas & adversa, in Oeconomia Evangelica comprehensa & olim expectanda, subinnuit, nihil est, quod addamus, postquam, quæ causæ, ita ut sentiremus, nos eo adduxerint, jam supra expositum est. De re ipsa vero hoc

hoc minus dubitamus, quo luculentiora sunt in medio, præter experientiam quotidianam, qua Caput & Membra Corporis Mystici Ecclesiæ N. T., testimonia, 1. Cor. I. & II. potissimum & quasi ex professo consignata: ita quidem, ut ipse quoque Paulus, quicquid vel docuerit vel doceri velit in N. T., *Mysterio Crucis*, velut brevi quodam summario & *Revelatorum* in Novo Fœdere, olim vero *Patefaciendorum*, Epitome complexus sit; sicuti etiam Esaias cap. LIII. toto Messiam, tanquam **אִישׁ מַכְאוֹבֹת** h. e. Virum doloris varii, hostium malitia illati, plenum, regnumque ejus, tanquam Regnum Crucis spirituale, & passim etiam David Ps. XXII, XL, LXIX. cæterisque Hymnis, sicut & reliqui Prophetæ, patientem describit: ut alia omittamus. Huc autem digitum intendisse Spiritum Sanctum, ipsumque Christum, hoc sibi nomen Il. cc. Exodi dum imponeret, vel eapropter ausim asseveranter tueri: quod, nisi ita sit, vel asserendum erit, temere a Sapientissimo Numine primam appellationem mutatam esse, vel fortuito hanc vocabuli significationem, summæ profecto Dei ipsius scientiæ penitissime cognitam, atque, si Hiobi Liber inter antiquissimos connumeretur, (qui tamen nobis videtur ad postremos rejiciendus & in Exilio Babylonico a *Mardocho* forte ex Arabico qualicunque fragmento divino metro concinnatus & conscriptus) jam ætate Mosis tritam, voci huic sapienter & consulto mutatæ accidisse. Quorum utrumque, utpote indignum prorsus Dei absoluta omnibus numeris perfectione, tutius certe erit, si quoquo modo absurdum, idque multo quidem magis, quando significatum hunc apprime ad eventum convenientem admiserimus, defugiamus.

§. XXXIV.

Extremum illud erit: Si res ita, uti demonstravimus, habeat, posteaquam futura olim & tam significanter prænuntiata

aiata *illustri* hac *Evangelica voce*, manifestatio Filii Dei, in carne reapse assumpta, toti jam orbi salutariter præstita est; consequens erit, non solum hoc Nomine, suis licet punctis genuinis scripto, Deum appellari amplius haud posse, sed etiam per conscientia religionem nequaquam debere: & quia sua natura & potestate Deum ac, singulari œconomia, Filium Dei **MANIFESTANDVM** in **MYSTERIO CRVCIS**, &, ut ita loquar, Muneris Messia **CANDIDATVM** denotet, qui nondum, quod susceperat in se, peregerit, sed peracturus adhuc sit in posterum tempus, *hujus Nominis, quibuscunque etiam punctis fiat, Enunciationem omnino hodie esse, si non ILLICITAM, certe INCONVENIENTEM*, atque porro, uti ex Scriptis N. T. jam exulat, ita ex Ecclesiis quoque in N. T., hucusque conservatis, exulare & debuisse & exulare imposterum debere; ne, sicuti Judæi aperta fronte solent, nos etiam per ignorantiam hactenus eos porro imitando, Messiam nondum venisse, quod illi reapse solent sua circumcissione & ceteris ritibus, toties ore nostro edisseramus. Ut adeo de eodem, meliori forte sententia, quam illis in more est, *Talmudicorum vox* repetenda & nobis in fine sit

לֹא כִשְׂאֵנִי נִכְתָּב אֲנִי נִקְרָא  
וְסוּד הַשֵּׁם לִירְאִיו :



Do.

*Doctissimo Politissimoque*  
DN. CAR. FRID. LOCHNERO

S. P. D.

PRÆSES.

**F**Æ sunt, fateor, animi *Tibi* dotes,  
a Summo Numine concessæ, ea-  
que, hac præsertim ætate, & per  
hos años non ita multos, in Aca-  
demia patria exactos, Studiorum & Doctri-  
næ elegantis incrementa, ut, quam sub ad-  
ventum *Tuum* spem optimam conceperam,  
non impleveris tantum abunde, sed longe  
etiam multumque superaveris. Scilicet in-  
conveniens *Tibi* visum erat, LOCHNEROS  
*Avum Parentemque* cum *Agnatis* Venerabi-  
les Ecclesiæ Doctores, non æmulo studio &  
æquali, uti mentis & ingenii dexteritate, ita  
profectuum quoque, in sacris exercitationi-  
bus, alacritate haud consecrari, aut longo, præ-  
euntes meritorum luce & gloria, relinquere  
intervallo. In qua sententia adhuc quotidie  
me cum Præceptoribus & Amicis ceteris ma-  
gis magisque *Tua* confirmat solertia & con-

F 3

stans

stans animi contentio, honestissimo hoc conatu, de *Dei Augustissimo Nomine*, e cathedra differendo, sensumque abstrusorem declarando, iterum commonstrata. Quamquam enim non soleo ex nuda Disputationum *γυμνασία* ac sola, quid censendum sit de bonis mentibus, temere conjicere; tamen ex his speciminibus, qualia jam plura publice edidisti, ceterisque bene inter nos & honeste actis, non vana ego auspicia capio, egregium Divini Numinis glorificandi, cujus Nominis arcana heic exponis, instrumentum *Te* futurum esse, atque id ipsum Nomen ad gregem committendum perferendo divinitus amplificaturum. Atque illud quidem, dum testimonio hoc publice extanti in præsens prælagit animus, non solum confido, ita eventurum; sed mearum etiam partium esse arbitror, currentem ad metam, enixissime eo, quo Spiritus Domini evocat, contententem, voto pie concepto profequi, stimulisque additis, nova isthac cohortatione amplius diligentiusque excitare. Quod superest, meum *Tibi*, in consequendo Theologicorum laudabili scopo, consilium opemque

que pro virili polliceor, precibusque inprimis  
ad optima quæque connitentem adjuvabo  
ardentissime fufis. Ita Bene Vale, *PL. Reve-*  
*rend. DN. Parentem meo nomine faluta, &*  
*divina gratia fuffultus favorem benevolen-*  
*tiamque Patronorum imposterum etiam*  
*recte docendo & pie vivendo promereri, non*  
*desifte. Scrib. Altdorf I in Museo d. 14. Iunii*  
*A. S. R. c. l. o. l. o. c. c. x. i. i.*

---

*Disce, LOCHNERE, Tuas dotes exponere rursus,*  
*Et doctum specimen studiorum promere tentas,*  
*Haud mihi concipiens spem vanam, credo futurum,*  
*Ut Patrem referas Venerandum, & munia a vita*  
*Ornes ex merito: Sanctis Deus annue ceptis!*

Nobilissimo atque Doctissimo Domino Respondenti  
de publico industriæ Academicæ specimine  
gratulaturus, properante calamo scripsit præ-  
ter expectationem oppositurus

M. Jac. Wilh. Feuerlinus.

---

*Discimus ex Verbo, magna quod pace fruantur,*  
*Qui sancto DOMINI pectore Nomen amant.*  
*Hoc igitur Nomen dum sancte expendis, Amice,*  
*Certus eris, Numen nomen amare Tuum.*

Doctissimo Domino Respondenti, Fautori & Amico  
plur. honorando de specimine eruditionis Philo-  
logica egregio gratulaturus, hoc quale quale est,  
apposuit

Io. Georgius Sapper, Vlmens. Opp.  
Splens.

*Splendida Majorum praeconia laude perenni  
Concelebraturos pignora chara thori  
LOCHNEROS video: Faxit per secula notum  
Per TE fiat idem notius atque DEI.*

Paucula haec Per-Eximio atque egregie Docto  
DN. LOCHNERO, Amico suo aestima-  
tissimo, in non fucati amoris tesseram, in-  
vita quidem Minerva, animo tamen gra-  
tulanbundo lubens apposuit

Fr. Bucher. Solisbac.

*Opponens.*

---

*Ad Doctissimum DN. Respondentem,  
Amicum ex paucis dilectum.*

*Nil, nisi pulchra petis: nam nil, nisi pulchra laborum  
Præmia digna ferunt.  
Scilicet ingenii dum blanda pericula rentas,  
Nil, nisi pulchra, probas.  
Vivida vis animi, mentisque probabile donum  
Grande secundet opus.*


*L. M. d.*

*A. G. P.*

---

*Nominis hæc, LOCHNERE, DEI dum sacra requiris  
Sensa, sacri Mystæ Nomen adeptus habes.  
Quod superest supplex imploro Numen, ut ipsum  
Hoc Domini Nomen Te tegat atque beet.*

*C. G. Schamberg.*



Fr. Edm.

St. Maria

St. Michael

St. Johannes

St. Peter

St. Paulus

St. Agathe

St. Barbara

St. Ursula

St. Katharina

St. Helena

St. Margaretha

St. Veronika

St. Elisabeth

St. Anna

St. Margareta

St. Lucia

St. Theresia

St. Gertrud

St. Hildegard

St. Mechthild

St. Gertrud

St. Hildegard

St. Mechthild

I, A

